

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Reverendissimi Ac Perillvstris Domini, Domini Ioan. Ioachimi
Hahn, Episcopi-Metellopolitani, Eminentissimi Archi-Episcopi
Principis & Electoris ...**

**Hahn, Johann Joachim
Gudenus, Christoph Ignaz**

Erfordiaë, [1722?]

VD18 13541331

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-200397](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-200397)



Amigerata historia est à Spiritu
 Sancto revelata: Jonam videlicet
 Prophetam, cum à Domino mis-
 sus ad annunciandam in Ninive
 pœnitentiam fugeret in Tharsis
 à facie Domini, à Ceto seu pisce
 grandi absorptum, tribus diebus
 & tribus noctibus in eo permanfisse. *Jonæ I. & II.*
cap. Duo imprimis sunt in prodigioso hoc eventu:
 quorum unum eruditam Philologorum curiositatem
 excitavit; alterum Theologis & interpretibus ad pias
 cogitationes ansam dedit. Quoad primum, sacer
 textus, quâ præcisè specie fuerit piscis ille, qui deglu-
 tivit Jonam, non explicat; Sed piscem grandem fu-
 isse asserit *Jonæ 2. cap. vers. 1.* Cetum fuisse, Matthæus
 annotavit *cap. 12. vers. 40.* ibi *sicut Jonas fuit in ventre*
ceti. Cetus autem nomen genericum est, omnibus
 marinis piscibus majoribus commune, ut vult Ambus.
 Calepinus. Consentit Jonstons *Histor. piscium cap.*

1. de Cetis in genere. Cetorum nomine sæpe tam apud Græcos, quàm apud Latinos ingentis molis pisces intelliguntur. subscribit Hoffmann in suo Dictionario universalis: *Balæna* è Cetorum genere, aliàs enim cum Ceto, species cum genere confundi solent. In Balæna Jonæ fuisse hospitium, Veteres, qui discutiendo huic facto navarunt operam, fere omnes autumarunt. Veruntamen quia Balænæ guttur & cesophagus est longè arcior; primi, post guttur, aditus pulmonibus etiam, quos iste piscis habet unà cum aspera arteria, adinstar animalium terrestrium, sunt impediti, quo minus hominem capere valeant: visum fuit recentioribus, non Balænam, sed Lamiam fuisse piscem illum, qui vatem hospitio excepit. Chorum inter recentiores ducit Wilhelmus Rondelet *L. 13. cap. 12. quo cum accuratius considerare inquit, mihi in mentem venit, Lamiam fuisse, in quam Jonas ingressus.* Idem Hoffmannus dicit in suo dictionario universalis, sequiturque illos Thomas Bartholinus, Haffniæ Danorum Medicus *Tract. de Morbis Biblicis. Dissert. 14. ibi omnes Balænæ rum angustas habens fauces, quæ vix brachium hominis capiant: vero fit similibus Canem Carchariam, seu Lamiam fuisse &c.*

Est autem Lamia miræ piscis magnitudinis, ita ut Masiliæ & Niceæ aliquando captæ fuerint Lamia, in quarum ventriculo homo loratus inventus est, teste Rondeleto Loc. cit.

Hâc magnitudine attentâ, putant patroni hujus sententiæ, valde naturaliter ibi Jonam hospitari potuisse, dixi *naturaliter*: hoc enim duntaxat inter philologos quæritur; an extra naturæ ordinem hic eventus

tus

tus collocari debeat, cum ad miraculum temerè recur-
ratur, donec & quousque mirus aliquis casus secun-
dum naturæ principia determinari valet.

Pestalosius Medicus Gallus novissimè tractatum de
hoc themate edidit, in quo contendit ostendere, illas
easdem difficultates, quæ Balenæ pro Lamia obstant;
non minus obstare Lamiæ pro Balæna & per conse-
quens eò minus à Veterum Auctorum Balenæ faven-
tium opinione discedendum esse, quod interior Bale-
næ rictus sit eâ latitudine, quæ hominem valdè com-
modè capere possit; & Parisiis visum fuerit Sceleton
Balenæ anno 1658. cujus cranium sexdecim pedes lon-
gum, & 4600. libras grave extiterit, teste *Pomey P.*
ii. Historiæ General. Pharmacorum L. 1. c. 31. & Joannes
Cabri Academicus Florentinus asserat, anno 1624. e-
jectam ad Italiæ littora fuisse Balænam faucibus ita di-
ductis, quas citra omne obstaculum homo equo insi-
dens subire potuisset. *Secundò* idem Pestalosii narrat,
ex Olao Magno Histor. septentrion. Lib. 21. cap. 16.
Balænas foetus suos gestare cum infirmantur, & si va-
lidi sunt, illos in ora suscipere; idemque facere, im-
minente tempestate & post tempestatem illos evome-
re. Jam autem de foetu Balenæ Jonstonus annotat
loc. cit. unum tauro non minorem esse: ex quo con-
fici, eo modo Jonam in Balæna, quo tantus foetus, ef-
se potuisse. Præsertim *tertiò*, quia si in ventre foemel-
læ Balenæ citra respirationis difficultatem tanto tem-
pore, quo aliquando tempestates sæviunt, foetum in-
tra se concludunt, quid ni Jonas eodem modo ibi per-
durare potuerit? Consideratis insuper *quartò* viis, per
quas Balæna respirat. Sunt enim fistulæ seu meatus
ab

ab ima polati parte ad extimam perforati duplices
septoque distincti, nariumque nostrarum foraminibus
ad palatum deductis quodammodo proportionē re-
spondentes, ut Jonstonus loc. cit. auctor est. Unde
apparet, quam facile per hos meatus Jonas aërem pu-
rum & copiosum potuerit attrahere. Militat tandem
pro Balæna & hoc, quod illo ipso tempore Cetus ad-
fuerit, ad deglutiendum Prophetam paratus: hoc e-
nim mirifice quadrat in Balænam, quæ navis è portu
solventis & forsan recenter picatæ odore excitata &
allecta fuit, pro naturali genio hujus piscis, qui na-
vium recens picatarum odore adeo oblectantur, ut
proximè accedentes se offricent, unde Nautæ de na-
vis submersione timidi picata dolia eis objiciunt, ut
navim relinquunt: ludunt enim cum doliis & in ob-
lectationis signum aquam per fistulas Capitis alternis
vicibus haustam, alternis in sublimè ejaculantur, ut
Aldobrandus monet. Sed quidquid sit de hoc Philo-
logiæ curiosioris examine intra suam sphaeram non
illaudato; Ego puto totam hanc historiam cum omni
sua antiperistasi in miraculorum censu reponendam
esse. Ita enim Salvator noster generali verborum
conceptione ac citra aliquam limitationem loquitur
*Luc. 11. 29. & 30. Generatio hæc signum querit, & signum
non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ. Nam sicut fuit
Jonas signum Ninivitis, ita erit & filius hominis generatio-
ni isti.*

Similia & proximè ad rem nostram Matthæus ha-
bet cap. 12. 39. 40. *Generatio mala & adultera signum
querit: & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Pro-
phetæ. Sicut enim Jonas fuit in ventre Ceti tribus diebus*
✠

7
Et tribus noctibus; sic erit filius hominis in corde terrae tri-
bus diebus Et tribus noctibus. Ubi gloriosam Redemp-
toris nostri anastasin adumbrari, sacri interpretes u-
nâ omnes animadverterunt, Magnus præcipuè Au-
gustin. L. 18. de Civit. DEI, c. 30. ibi *Jonas non tam ser-
mone, quam suâ quâdam passione prophetavit profecto a-
pertius, quàm si ejus mortem Et resurrectionem voce clama-
ret.* Illuxit nobis anniversaria præcellentissimi hujus
mysterii memoria, festivissima sanè dies, solemnitas
solemnitatum, festorum omnium maximum festum, ut
Gregorius & Leo Pontifices aliquando scripserunt, u-
terque Magnus. Incredibile dictu est, quantâ verbo-
rum affluentia simul & elegantia sacri scriptores hanc
diem concelebrarint, illud unâ intentione spectantes,
ut & fidelis populus lætitiâ concipiat, fiduciam &
consolationem. Exurge igitur Psalterium & Cithara.
Gaudeamus in Domino diem hunc festum celebran-
tes. Quid enim ad gaudium in nobis excitandum &
perfundendam dulci solatio animam possit esse præ-
stantius Dominicâ resurrectione? quæ nostræ resurrec-
tionis prototypon, spes est & firmamentum. *Re-
formabit enim corpus humilitatis nostræ configuratum cor-
pori claritatis suæ.* Philip. 3. Adorande Victor mortis,
ut gaudium ex tua Resurrectione descendens sit ple-
num, redde immortales dies *Eminentissimi ac Celsissimi
Principis ac Domini, Domini LOTHARII FRANCISCI,
S. Sedis Moguntinæ Archi-Episcopi S. R. I. per Germa-
niam Archi-Cancellarii, Principis Electoris ac Episcopi Bam-
bergensis, Universitatis nostræ Cancellarii Perpetui, Domini
nostri clementissimi.* Concede similiter longitudinem
dierum *Reverendissimo ac Perillustri Domino, Domino*
FRI-

FRIDERICO WILHELMO L. B. à BICKEN, *Eccle-
siae Metropolitanae Moguntinae & Equestris ad S. Ferrutium
in Bleidenstad Canonico Capitulari, Sacrae Caesaris Majesta-
tis Consiliario Aulico, Eminentissimi Electoris Maguntini
Consiliario intimo, Civitatis & Territorii Erfordens. Pro-
Principi, Domino nostro perquam Gratiofo.* Circumda
divitiis gloriae & sanctitatis tuae Almae Universitatis
Dominos Proceres ac Cives Academicos, ut æmulan-
tes charismata meliora in terris aliquando inter sanc-
tos resuscitati respirare mereantur. Publicatum sub
Sigillo Rectoratus, Dominicâ Resurrectionis. Anno
MDCCXXII.

